

Apoc. 7. 9. 13. *Vidi turbam magnam ex omnibus populis & tribubus terræ, amicti stolis albis & palma in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: Salus ei qui sedet super thronum Dei nostri & Agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni & seniorum & quatuor animalium, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas adorantes Deum & dicentes Amen. Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.*

Huc pertinent omnes parabolaë & historiaë Evangelicæ, in quibus varii variarum personarum gestus, dicta & facta exprimuntur.

Chrysof. *Dicas mensæ tuæ tribue eleemosynam membro tuo.*

Bernh. in serm. *In inferno clamabit pilosus ad pilosum, unus ad alium, Daemon ad Daemonem: percutite, dilacera, interfice, velociter spolia, detrahe, infer prunas & lebetibus ebullientibus impone.*

Basil. in conc. exhortat. ad baptis. *Frustra poenitentiam ob consilia mala ages ubi videris hilaritatem justorum? Qua dices tunc in dolore cordis tui? Heu mihi quod non abjeci grave peccati onus! nunc sanè essem cum angelis, nunc sanè in cælestibus bonis delicias agerem. O mala consilia! propter brevem ac temporalem peccati voluptatem, in æternum suppliciiis torquebor? propter carnis illecebras in ignem æternum trador?*

Cic. pro Cæli. *Excitat Appium cæcum ad objurgandam Clodiæ libidinem. Existat igitur ex hac familiâ aliquis, ac potissimum cæcus ille, minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit: qui profectò si extiterit, sic aget & sic loquetur. Muller, quid tibi cum Cælio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno: cur aut tam familiaris huic fuisti, ut aurum commodares? aut tam inimica, ut venenum timeres? Non patrem tuum videras, non patruum, non avum, proavum, atavum, audieras consules fuisse, non deniq; modò te Q. Metelli matrimonium tenuisse sciebas, clarissimi & fortissimi viri, patriæq; amantissimi, qui simul ac pedem limine extulerat, omnes propè cives virtute, gloria, dignitate superabant.*

batt